



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi Archiepiscopi Pragensis

Balbín, Bohuslav

Pragæ, 1664

Statua Beatissimæ Dei Matris in Ecclesia Glacensi ab Arnesto Puero
vultum avertit. Caput VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42763

Ejus Imaginis Effigiem. *Magno semper in cultu & veneratione Piorum hac statua ab omni retrò memoria fuit, ad ejus effigiem ari nuper incisam Glacense Collegium hanc inter alia memorabilem maximè Narrationem apposuit. Anno 1653. obdormiuit in Domino R. P. Joannes Warlichius S. I. propè septuagenarius, pius & Divinis rebus addictus Sacerdos, qui viginti amplius annos Oeconomiam Glacensis Collegij solerter administrarat. Is cum S. P. IGNATIUS sacris Exercitijs animum excoleret, atque in lignea pergula in postrema Templi parte, hanc DEI Matris effigiem identidem spectans, sine arbitris, clausoque Templo omni animi contentione gratiam, nescio cuius rei, à DEI Matre fieri sibi flagitaret, repente statua alta, claraque Voce, qua Templum totum impleret, Ita Ita repetendo, annuere se precibus significavit: terruit primùm ea vox orantem, at cum misericordiam maternam reputaret animo, mirificà consolatione delinquit. Rem ut gesta erat, ante mortem candidissimus & antiquæ simplicitatis senex, Sacerdoti, Patrique Spirituali suo aperuit, simulq; monuit, nè nisi mortuo se, uellet evulgare. Vivit hodièque superstes Confessarius, exstatque in Archivo Collegij Glacensis de re tota, Sacerdotali fide munita testatio.*

Miraculum
novum hujus
Statue.

Statua Beatissimæ DEI Matris in Ecclesia Glacensi ab Arnesto Puerò vultum avertit.

CAPUT VI.

Per id tempus, quo Glacij litteris operam
dabat Arnestus, res quædam admiratione sæculi digna ac-
cidit cum Puerò, cujus narratio verbis Arnesti concepta

Miraculum
speçante Ar-
nesto puero
editum in
statua B. V.
Glacij

D

latine

latine inter manus est, ex Antiquissimis codicibus Treborensi, & Glacensi exscripta, & Mariali libro, cum Typis, *Ferdinando III*, Aug: Memoriae Casare jubente, exprimeretur, praefixa. Est alia vetustissima quoque rei narratio lingua Bohemica descripta, quam ad verbum recitavit *Wenceslaus Hagecius*. Idem Bohemiae historicus aegrotantem, jamque morientem *Arnestum* narrasse adstantibus Miraculi seriem, & scriptum protulisse, atque ut ederetur in vulgus, & publice legeretur in Templis, jussisse, scribit. Quam linguam, an latinam, an Bohemicam *Arnestus* scripserit, a nemine hactenus video dubitatum, omnibus in linguam latinam inclinantibus: Ego comparatis verbis & sententijs omnibus, existimo tute satis dici posse, Bohemicè diu ante ab *Arnesto* conscriptum Miraculum, ab eodem ipso moriente, vel ejus jussu, ab aliquo adstantium conversum in Latinum: nam primum quae in Bohemico leguntur, (ut ex Notis quas subijciam quisque videre potest) longè latinis significantiora, & potentiora sunt; deinde sunt plura, quae interpres, si in Latinis non invenisset, quae audacià addidisset de suo ipsa latinitas phrasin Bohemicae linguae alicubi redolet, atque ad extremum multum ab *Arnesti* stylo, quem in *Statutis* observamus, discrepat: res est incerta, quam in medio relinquo.

In hist. Bohem.
A. 1364.

An latine an
alia lingua
id Miraculum
scripserit Ar-
nestus.

Ex Codicibus M.
S. Bibliothecae
Canon. Regul.
S. Aug. Trebo-
nae, & Glacis &
Crumlovij.

Visio mirabilis VENERABILIS
Patris ARNESTI ab ipso-
met prope Vitæ finem de-
scripta.

Noverint universi praesens scriptum
lecturi, aut audituri, quod ego Arne-
stus